

X 1903741

4.

II n  
6780

# CASTRUM DOLORIS TYPICUM CORONÆ SVEC.

Piissimè sacrato Anathemate  
*In Electorali SAXON. ad Albim Academia*  
erectum & devotum,

Anno c13 13c LXXXV.



WITTEBERGÆ,  
Literis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.



54


BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

Ad  
*Magnificos, Nobilissimos, Consultissimosq; VIROS,*  
DN.  
**ERICUM LINDSKIÖLD,**  
Hæreditarium in Stafffund;

&  
DN.  
**ERICUM BERGENHIELM,**  
SACR. REG. MAJEST. SVEC.  
à Confiliis Cancell. Regiïq; Statûs Secret. Graviss.  
*DNN. & Patronos observandos:*

Expresfit Pietas in REGEM Emblemata Magnum;  
Vos estis REGIS lingua manusq; Pii.  
Accipitote igitur sacrata hæc Carmina Vobis,  
Patroni Egregii, & consulitote boni!







## LAMENTUM.

**H**æc vacillantem funesta in carmina pen-  
nam  
Mitto, remitto meam, concino triste  
melos.  
Atque ego quos possim doctos expo-  
mere versûs?

Quin mallet, in lacrymas totus abire queam!  
Ipsæ etiam Charites flere, indutaque peplum  
Numina Dis manibus condoluere simul.  
Ipsa sibi tepidos fluvialia nomina fontes  
Expresere oculis Æquora plena suis.  
It Pietas laniata comam, Virtusque subacta  
Planctibus exequias, sindone amicta Dea est.  
Luximus ingentes & nondum eluximus urnas;  
Vivit adhuc animis nupera cura piis.  
Publicus hic dolor est; quivis pro parte dolemus,  
Et cumulat questûs SVECIA tota suos.  
Continuant adeoné neces, & fila Sorores  
Abrumpunt, Parcæ nomine, re minimè?  
An pullas Myrtos & amantes dira Cupressos  
Appropriant Regi fata maligna Pio?  
Dii! quænam est coelo cura? aut cur perdita spes est?  
(Mollitur lacrymis egeriturque dolor.)  
Sed quid degeneres juvat opposuisse querelas,  
Et coelum verbo sollicitare gravi?

## SOLATIUM.

Triga Ducum vivit, formas oblita priores,  
Longè extra fluxas Orbis & Urbis opes.

X

Sedibus

Sedibus æternis felici sorte recepti  
 Præsentis spectant lumina sancta Dei.  
 In cœlo radiant jam pleno fidere Fratres,  
 GUSTAV, ULRICUS, tùm FRIDERICUS ibi.  
 Principis est, calcare humiles, & quærere magnas  
 Res! *Ducibus* Cœlum sufficit ecce *Tribus!*  
 Omnia vanorum vanissima, & omnia vana  
 In mundo immundo, præter amare Deum.  
 Det quamvis raro fulgentem Adamante Coronam  
 Rex Pater; at Cœli Rex bona cuncta dedit.  
 Invideat Regnis hos Omnipotentia Trinos?  
 Non. Diadema novum spondet in arce Poli.  
 Hic picturatis radiant interlita gemmis  
 Pignora chara, Duces, quos ita junxit amor.  
 Rident infamem terram, nugasque canoras:  
 Nil mortale placet; *Sceptra, Corona, jacent.*

## REMEDIUM.

ex Ps. XLII.

Est etiam in numeris quædam Medicina sonisque;  
 Solamen tribuunt carmina sæpè aliquod.  
 In partem officii mista hæc emblemata posco:  
 Exprimat ergo animi sensa Tabella mei.



Cervus

Cervus ut ad fontis sitiens ruit impiger undas;  
 Sic pius & Coeli spiritus ardet aquas.  
 O mihi si liceat divinis jungier unà!  
 Ut videam Trinum mox sine fine DEUM!  
 Pulchrior è (pulchro minimè) prodibo sepulchro;  
 Hora superveniet grata aliquando mihi:  
 Nec præsens semper durabit luctus in annos;  
 Post hyemes æstas grata, serena, venit.  
 Aude ergo, ut capias non visa! relinquito visa,  
 Mens pia! quantumvis terra pedes gravidet.



## PRÆSAGIUM.

Quid sibi plena volunt duo Cornua tam ubere fructu?  
 Quid Candela ALIIS lumina clara ferens?  
 Vineam quid florens? quid Cubus & ille quadratus?  
 Quid Rosa? Quidve triplex fulmina casus agens?  
 Quid.

Quidq̄ve caput cinctum colubris, infame Medusæ,  
Cœlesti tactum fulmine, torva videns?  
Gratia plena DEI signatur cornibus istis;  
Regi, Reginae prospera cuncta notans.  
Rex prodest aliis; sed sic consumitur unâ:  
Flamma caput cingit, flamma petitque pedes:  
Rex radios spargit, veluti Lux lumen, in omnes  
Regnorum terras: Luce nihil melius.  
Proq̄ve salute gregis *flamma est in corde Monarchæ:*  
Tetragonus Cubus firmum animumque refert.  
Regia florebit Domus, ut Rosa, Vineâ, posthac:  
Invidiæ occurret fulmen ab arce Poli.

*Testaturus pietatem, luctum,  
Et obsequium humillimum  
scr. VVitteberga*

ANDREAS JÄGER,  
Holmiâ Svecus.





(Post LEONIS atq; TIGRIDIS spectaculum,  
nuperrimum, ferali Autor nuntio defuncti  
præ naturæ iterum REGALIS PRINCIPIS tener-  
rimi attonitus,

Occasionem habuit Inscriptionis hujus.)

**L**Eonem spectro generosum, cogito Ma-  
gnanimum

LEONEM SVECICUM,  
SERENISS. ARCTOÆ PLAGÆ SOLEM,

(Sol cœlesti etenim Leone gaudet,)

Illustrissimam Polaris Orbis Helicen contueor,

REGINAM & CORONAM BOREALEM

Deliquium Solare, non unum, nec vulgare,

Pallorem Siderum Polarium observo;

Expendo Tigridis sævitiam,

Emblema inde repræsentato!

LEONEM SVEONICUM à Tigridi immani territum

(Quid enim est mors aliud?) in audio.

Eheu! præposteræ Fatorum leges!

CAROLI XI. SVECOR. REGIS INVICTISS.

Secundo-Tertio-Quartogenitum,

Felicis uteri acerbiores fructus,

Filios Regali stirpe natos,

GUSTAVUM, ULRICUM, FRIDERICUM,

Mors inexorabilis avulsit, intra spaciū semestri.

Impenetrabile Coelorum penetrabile!

Cur

CUR PARENTUM AUGUSTISS. gaudia, delicia Aulæ,  
Populor. spes, Subditor. vota frustrantur  
Festinatiss adeò supremis?

Imperate luctum Præficæ nobiliores!

Incedite ferali sindone ac sirmate!

Incidite funestos crines!

Fastigio condecorati fertis atq; lemniscati Mau-  
soléi

Insidens tubicina, elogiorum parentatrix Fama  
Profunde lacrymas! REGINAS lacrymantes cernis.  
Symbolicis expressam lemmatis sympathiam  
Inscriptione, cælaturâ, carmine, testare.

V. hic junguntur corda! III. Filior. Regior.

Duo Augustiss. insimul Parentum;

Tria in duobus, duo cum tribus, V. in uno!

Heu quot jacturæ!

Discite mortales, Mors nulli parcit honori.

Lege Viator & luge, sed & exstrue

## DOLORIS CASTRUM,

Religio, Spes, Charitas, ingeniosa Ars,

Vivaci Tabulâ exorna Tumulum,

Et pro salute Optimorum

HEROUM PRINCIPUM Superstitum

Votivam adjice Epigraphen!

(Commodum Autori visum est, in erigendo aliquo DOLORIS CASTRO,  
Pro Luminibus prolixo numero accendi solitis, ad  
STELLAS & IMAGINES, sed BOREALES tantum,  
hic alludere, & Principales quasdam  
per Emblemata repræsentare.)

\* TRIANGULUM SEPTENTRIONALE. \*

Æthæreum Tripliciradiatur fidere Delta:  
Nexuit hæc Ternos splendida forma *Duces*.  
Cur *Trinos* repetit Coelum à Tellure? *Trigonus*  
Hic *Boreæ* haud alio debuit esse loco.  
Vos fugitis prægrande nefas, & linitis Orbem  
Hunc, ubi stat lubrico spesque fidesque pede,  
Regales Animæ! Coelum sine fine tenetis!  
Est Pietas nulli cognita vestra malo.

\* STELLA POLARIS, & REGALIS MAGNES. \*

Quæ Cynofura regit Sveones Septemq; -triones?  
*CAROLUS Undecimus Stella Polaris* adest.  
Vertitur huc ferrum, (Populus,) Magnetica virtus  
*REGIS* ad exemplum ferrea corda trahit.  
Est Pietas magnes, magnes est *REGIA MATER*,  
*REX, REGINA* pios reddere, habere volunt.

\* CYGNUS. \*

Candidus in Coelo Cygnus fulgore relucet;  
Candores similes sic sibi junxit Olor.  
In Coelo lucent claro jam fidere Fratres,  
*GUSTAV, ULRICUS, tum FRIDERICUS*  
ovans.

PEGA-

77 780  
\* PEGASUS. \*

Quid sibi vult inter tot sidera Pegasus ille?

Pegasus est *Ducibus* dux Geniusq; bonus.

\* Præfagiens CRUX CHRISTI. \* x. Christi.

Hoc Signo vincet cunctos feliciter hostes

CAROLUS en Princeps Ille DUODECIMUS.

\* DRACO \*

Nullus in æthereis tanget Draco noxius Hortis

Germanos Fratres tergeminosq; Duces.

Serpentis domitor superis caput intulit auris;

Trina sumus, sequimur Nos quoq;, membra  
Caput.

Est alibi, quæ Nos Patria expectatq; vocatq;,

Rebus terrenis hospita terra vale!

\* HERCULES OPHIUCHUS. \*

Nullus ibi metus est; Draco trux in sibilat illic

Nulla mala, aut quassat culmina magna nece.

\* CORONA SEPTENTRIONALIS. \*

Splendentem gemmis crebroque Adamante Co-  
ronam

Rex dabat, at Coeli Rex bona quæque dabit.

Corporis exuviae tenuem solvantur in auram;

Mox cinis in gemmas funditur arte Dei.

Angelicæ mentes certant offerre Coronam;

Proque Coronâ unâ trina Corona datur.



*Submississimo affectu fec. Witteub.*

GEORG. CASP. KIRCHMAJERUS.

Orator. Prof. Publ.

Sedibus æternis felici sorte recepti  
 Præsentis spectant lumina sancta Dei.  
 In coelo radiant jam pleno fidere Fratres,  
 GUSTAV, ULRICUS, tùm FRIDERICUS ibi.  
 Principis est, calcare humiles, & quærere magnas  
 Res! *Ducibus* Cœlum sufficit ecce *Tribus!*  
 Omnia vanorum vanissima, & omnia vana

In mundo immu  
 Det quamvis raro  
 Rex Pater; at Co  
 Invideat Regnis ho  
 Non. Diadema n  
 Hic picturatis radia  
 Pignora chara, D  
 Rident infamem te  
 Nil mortale plac

**RE**

Est etiam in nume  
 Solamen tribuun  
 In partem officii m  
 Exprimat ergo a



um.  
 e Coronam  
 edit.  
 os?  
 e Poli.  
 amor.  
 as:  
 cent.

sonisque;  
 od.  
 osco:  
 i.

Cervus